

capellis et cum omnibus, que adhuc dici vel nominari possunt, sibi pertinentibus tam prope quam longe et cum omnibus redditibus, ut sit semper ad partem sui episcopatus tamquam loca per multa regum tempora possessa; et liceat deinceps predicto Reginoldo suisque successoribus iam dictam abbatiam firmiter tenere, pacifice investire et ordinare, prout sibi melius visum fuerit, sine omni contradictione atque remota omni publica functione. Decet enim nos et regni nostri summum augmentum est remunerare et honorare, qui nobis fideliter servierunt et serviunt; per eos enim speramus vigorem nostri nominis magis magisque dilatare ac arcem nostri regni amplificare nec non deo servire, dum divine scripture studuerimus obedire, sicut ipsa refert: 'opus mercenarii nullo modo remaneat apud te uno die'^a. Igitur unde deo et seculo placere debemus, dignum est, si nostris^b fidelibus non negemus. Quapropter, quia iustum duximus, prelibatum nostrum dilectissimum Reginoldum Cumanum episcopum presentibus nostris fidelibus de iam dicta abbatia per fustem nostre manus presentaliter investimus ac perpetualiter sibi suisque successoribus inviolabiliter concedimus atque per sacratissimam nostri precepti paginam eundem episcopum suosque sequaces de ipsa abbatia cum omnibus sibi pertinentiis functionibus et redditibus in integrum eternaliter confirmamus et a nostro iure ac dominio atque ab omni publico respectu et usu omnino separamus, ut predictus Reginoldus episcopus sui que posterius exinde potentialiter faciant, quicquid eis placuerit ad usum et utilitatem eorum sub nostra plenissima auctoritate et defensione. Idcirco cetera posthabita^c iubemus ac iubendo firmamus, quo^c nullus dux marchio comes archiepiscopus episcopus vicecomes vicedominus, nullus publicus ministralis vel gastaldio, nullus Latinus aut Teutonicus nec aliqua magna parvaque persona cuiuscumque dignitatis vel condicionis aut nationis nec aliqua alicuius hominis potestas deinceps iam dictum nostrum fidelissimum^d Reginoldum Cumanum episcopum eiusque successores de predicta Bremetensi abbatia in aliquo umquam divestire molestare vel inquietare audeat nec aliqua invidia vel cupiditate aut forte inimicia seductus de bonis omnibus ipsius abbacie ubicumque locorum quicquam tollere aut imminuere presumat; sed liceat sancte Cumane sibi commisse ecclesie eiusque episcopo qui pro tempore fuerit eam in integrum et illibatam quiete ac

a) Vgl. Levit. 19, 13.

b) 'n' B.

c) B.

d) 'fidessimum' B.